



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **MEXICOPOLI IN CELEBRITATEMPLUM PAROECIALE**  
SANCTI JOSEPH ET DOMINAE NOSTRAE  
A SACRO CORDE IESU, QUOD IN URBE MEXICOPOLI EXSTAT,  
AD BASILICAE MINORIS GRADUM DIGNITATEMQUE EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Mexicopoli, in celebri  
atque amplissima urbe, exstat templum paroeciale Sancti Joseph et Dominae Nostrae a Sacro Corde Iesu miris artis  
operibus clarum, quod fuit et prima paroecia Novae Hispaniae et sedes Primi Concilii Provincialis Mexicanus. Ibi pariter a  
fidelibus loci finitimarumque regionum pie colitur gratiosa imago Deiparae eodem titulo invocatae, quae die XXVI mensis  
Septembris anno MCMXLVIII nomine et auctoritate Summi Pontificis Pii PP. XII, Decessoris Nostri rec. mem., aureo  
diadematè coronata est. Praeterea constat eandem ecclesiam notum esse centrum spiritualis vitae operumque  
pastoralium et caritatis praesertim in egenos, aegrotos et senes. Qua re, cum Venerabilis Frater Noster Ernestus S.R.E.  
Cardinalis Corripio Ahumada, Archiepiscopus Metropolita Mexicanus, litteris die III mensis Septembris superiore anno  
datis, etiam Episcoporum Auxiliarium clericorum populique sui nomine petiverit ut templum idem titulo ac dignitate Basilicae  
Minoris honestaremus, Nos tam sollertia ac dignissimi Praesulis precibus perquam libenter obsecundandum esse  
putamus. De sententia igitur Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, quam ratam habemus,  
Apostolica Nostra usi potestate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum templum paroeciale, de quo  
mentionem fecimus, titulo ac dignitate Basilicae Minoris decoramus, omnibus factis iuribus ac liturgicis concessionibus,  
quae sacris aedibus hoc nomine insignitis rite competunt, iis tamen servatis, quae secundum Decretum «De titulo  
Basilicae Minoris» die IX mensis Novembris anno MCMLXXXIX editum, servanda sunt. Quod faustum ac felix sit  
Mexicano Pastori eiusque clero ac populo Nobis carissimis. Has denique Litteras sive nunc sive in posterum ratas esse  
volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die*  
*XV mensis Ianuarii, anno MCMXCIII, Pontificatus Nostri quinto decimo.* ANGELUS card. SODANO  
*Secretarius Status* © Copyright 1993 - Libreria Editrice Vaticana

---